



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Memento pro Defunctis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

sacrificium immaculatam hostiam. Si jam vetera illa Sacrificia, quæ non nisi umbra & figura fuerunt Sacrificii nostri, respexit Deus. Quomodo respiciet ipsum sibi oblatum filium? qui jam inde à primo ineffabilis incarnationis suæ instanti velut omnium prædestinatorum, qui in libro vitæ, id est, divino intellectu scripti sunt, caput se statim obtulit ad patris sui voluntatem in omnibus, quæ mandaret, adimplendam ut mereretur non sibi gratiam & gloriam sive visionem beatificam, quam jam habebat, sed nobis. Solâ hâc tunc factâ oblatione infinitum promeruit, & infinitis mundis gratiam & gloriam acquisivit. Sicut & omni postea cogitatione, verbo, opere, passum aut pedum motu utpote actionibus theandricis & infiniti pretii. O si celebrans & Sacrum audiens vivaci hoc fide penetraret! quantis se thesauris ditaret vel in una Missâ remissionem peccatorum & gratiam multiplicem impetrans. Sed hoc sanguineis deplorandum lacrymis. Quod, dum in casu, quo tantum homo unam Missam celebrare vel audire posset totâ vitâ suâ, illi utique ad animam suam ditandam devotissimè interesset, quod inquam jam indies fructum illum percipere valens vel Sacrum negligat, vel obiter ac perfunctoriè sine ullo devotionis gustu id celebret vel audiat.

Memento pro Defunctis.

Si oblationes Deo factæ per elemosynam, jejuniis, aliaque pia opera pro animabus in purgatione

purgato i'o detentis tantum iis emolumentum adferunt. Quantum proderit oblatuſ pro iis in Miſſa, & à celebrante & audiente Miſſam, unigenitus Dei filius cum omnibus, quæ toto vitæ ſuæ curſu ſibi acquiſivit meritis infinitis. Quæ juxta divinæ voluntatis acceptationem ipſis plus vel minus applicantur. Prodeſt etiam illis præter ipſam Sacrificii virtutem ipſa particularis Sacerdotis in Miſſa devotio, quam ipſe à parte ſua, per opus hoc, quod agit, ut Miniſter Eccleſiæ, applicat. Quilibet ſive celebrans ſive audiens Miſſam habet fortè adhuc in purgatorio ſibi proximè conſanguineos vel alios quibus obligatus eſt. Lamentantur hæ bonæ animæ, quòd cum indies tot Miſſæ celebrentur, & tot audiri poſſint, ſub Memento, quòd Eccleſia ut pia & compatiens Mater expreſſè pro Defunctis in Miſſa fieri voluit, tam exigua earum habeatur memoria, cum tamen, ſi inſtanter æterno Patri unigenitus Dei Filius in Miſſa pro iis offerretur à ſibi in hac vita obligatis, vinculo carnis vel alio junctis, ipſi magnum inde perſentiſcerent refrigerium. Ergo quòd tibi aliquando factum voles, fac non frigidè, perfunctoriè, ſed ardentè, & benè præmeditatè pro his illis offerendo divinæ ſuæ Majeltati ſanctiſſimi Filii ſui D. N. J. C. merita. Si per *Memento* hoc in ſingulis Sacris à te continuatum citiùs illæ vel una earum conſpectu Dei perfruantur, quantas tibi per totam æternitatem aget gratias?